

constat, eum a sociis nihil pacatiore animo digressum pervenisse ad sacellum quoddam inter ædem D. Albani et hanc B. Virginis ecclesiam situm, ubi jam olim hæc simulacra fuerant reposita. Plenus erat (Schelkropff) haud dubiæ impietatis et qui scelus abominabile jam dudum animo conceptum mox effundere concupisceret. Quo primum ergo ad id sacelli pervenit, hanc imaginem crucifixi dissecuit; ita ut nec ullatenus hæreret quidem. Mox Divæ Virginis aliorumque sanctorum signis cruci adstantibus cæsim et punctim pleraque vulnera infligit. Haud absimilis lupo, qui majore interdum cædis libidine quam fame percitus in ovile indefensum grassatur. Hactenus (Schelkropff) debacchatus est: quæ vero sequuntur ad vindictam divinam et miraculum ipsum pertinent. Terrificus enim et admirabilis ille cruor, quem hic tibi videre licet, subito ex vulneribus a crudelissimo illo sicario passim illatis effluxit; ceu non lignea simulacra, sed vivi homines eam injuriam perpassi forent. Crederes Deum ipsum tanto scelere appetitum quodammodo indoluisse, et tam stupendo miraculo veluti manifesta doloris confessione, mortales ad vindictam faciendam animasse. (Schelkropff) autem jam expleta impietate sua, sive nutu Dei affixus, sive ipso cruoris miraculo exterritus, inde pedem non movit, donec a supervenientibus in flagranti crimine deprehensus, et in urbem Moguntinam captivus deductus est: non jam suæ sed divinæ iræ memor, anxiosque metu pœnarum, quas paulo post dedit: non quidem flagitio suo respondentes (non enim tantæ impietati par supplicium excogitari poterat: ) sed quas homini homines infligere debuerunt. Vivus enim in conspectu populi exustus est, non longe ab urbe in eo loco, quem Judæorum aream vulgo appellant, quod Judæi quondam cadavera sua illic humare solerent. Hac morte impiissimus ille (Schelkropff) consumptus est; imagines vero vulneribus et cruore insignes ab ædícula illa veteri ad hoc templum summa veneratione sacerdotum manibus translatae fuerunt. Ubi in hodiernum usque diem terrificus ille cruor visitur, et admodum religiose colitur; multique mortales varie afflicti, susceptis votis, Dei Opt. Max. clementiam experti et salutem adepti sunt. »

Secundo. Propositus est Christianis sensu contrario et mystico, ut ad scopum hunc jaculentur. Primo ad eum dirigendo, veluti ad finem, omnia cogitationum, sermonum et actionum suarum tela juxta id apostoli I. Corinth. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Coloss. cap. III. *Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Dei nostri Jesu Christi,*

q. d. ad Christi gloriam veluti ad scopum referte. Scribit Tertullianus lib. de corona militis, et S. Hieronymus ad Eustochium, moris olim fuisse apud Christianos, ut in initio operis cujusque se signarent cruce, q. d. Hoc opus fiat ad gloriam Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti. S. Basilius in brevior. reg. 196. asserit manducare et bibere nos ad gloriam Dei, cum ad Deum inspectorem attendimus et manducamus velut operarii Dei, ad restaurandas vires quibus ei deinceps fortius serviamus. Secundo eum audiendo et imitando vitæ sanctimonia: *Religionis enim summa est imitari quem colis*, ait S. Augustinus, lib. VIII. de civit. cap. XVII. Dirigendi ergo actus nostri juxta præscriptum et exemplum Christi quo modo pictor aliquem depingens, identidem respicit in prototypon. Ita omnium in synagoga oculi, cum Christus legeret ex Isaia summam legationis suæ, erant intendentes in eum, Luc. IV. Huc, Christiani, dirigamus tela nostra exemplo Fl. Joviniani imperatoris, qui hoc gerebat symbolum: *Christus vitæ meæ scopus*, quem etiam tantum amavit, ut sub Juliano imperatore balneum ponere et de vita periclitari, quam a Christo deficere maluisset; cumque, extincto Juliano, imperator salutaretur, prius imperare noluit, quam milites pronuntiare sese non gentiles, sed Christianos esse, Baron. anno 363.

Verum Chisto contradicunt et ab hoc scopo aberrant, primo, qui suas actiones ad temporalia tantum commoda referunt. Qui bene vult jaculari, sinistrum oculum claudit, dextro sagittam dirigit: claudamus ergo sinistrum oculum terrenarum affectionum in omnibus nostris actionibus, dextrum aperiamus, nec aliud quam Christum quæramus, quo fiet ut omnes nostræ actiones scopum tangant et lucrum in celo parent. Verum hic dæmon instar illius Naas Ammonitis, I. Reg. XI. quamplurimum effodit oculos dextros, relinquit vero sinistros. Secundo, qui cum dicant se christianos, operibus contradicunt, juxta id apostoli ad Tit. I. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Quid de illo diceres, qui scopum sibi præfixum asserit esse in dextra parte, interim omnes suas sagittas jaculatur in sinistram? Nonne illum mentiri et tibi imponere diceres? Hoc agit Christianus, qui non vixit christiane, id est, juxta normam a Christo præscriptam et monstratam. Quid aliud est christianismus quam Christi professio et imitatio? At vero quando Christo contradicunt opera tua, quomodo non mentiris? Vide scopum, et vide jacula tua. Christus in præsepio jacet vili involutus panno; tu honores ambis, splendide vis vestiri: Christus opes sprevit, pauperes elegit parentes; tu divitiis inhias et incubas ut canis in præsepio,

qui nec illis uteris, nec aliis das utendas: Christum vides jacentem super fœno, media in hieme, vides in cruce morientem; tu voluptatem sequeris: vides esurientem et sitientem, felle et aceto potatum; tu gulæ tuæ servis et epularis splendide. Audis ignoscens suis inimicis, tu non vis ignoscere: audis eum dividere cum latrone paradisum, tu non tua tantum sed et suum cuique invides. Hoccine non est a scopo quem tu proferis tibi quæ præfixum asseris, longissime aberrare, adeoque fidem fallere, imo Christum irridere? Vos ergo, dilectissimi, in hoc jaculandi genere nolite errare: *Deus non irridetur*, ait apostolus ad Gal. VI. ne aliquando sero nimis dicatis: *Ergo erravimus a via veritatis*, Sap. V.

## CONCIO II.

VARIÆ BENEDICTIONES.

I. Benedicit Deus. — II. Angeli. — III. Sancti. — IV. Pontifices et sacerdotes. — V. Parentes. — VI. Homines plebei.

## THEMA.

*Benedixit illis Simeon*, Luc. 2.

Magni semper æstimatæ sunt benedictiones in Ecclesia, non ipsius Dei tantum, sed et angelorum et hominum quoque. Scimus enim Jacob angelo dixisse: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, Gen. XXXII. Scimus eum fratri suo benedictionem patris, astu præripuisse, Gen. XXVII. Denique pro ingenti confusione reputabatur, si cui quis præteriens benedictionem non precaretur, ut habetur, Psalmo CXXXVIII. *Non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domine super eos.* Et quis non magni æstimet benedictionem illam, quam in hodierno evangelio Simeon, impertiit Christi parentibus? Videamus igitur nunc, quorum sit benedicere.

Benedicit primo Deus, et quidem efficaciter seu dative, cum homines non nisi optative possint benedicere. Continet etiam et confert Dei benedictio omnem prosperitatem, et copiam bonorum tam spiritualium quam corporalium. *Quid est, benedixit?* ait S. Chrysostomus in Ps. CXIII. *Implevit bonis innumerabilibus.* Unde Dei benedictio præ omnibus aliis petenda et quærenda est. Benedicit autem Deus præcipue justis, Proverb. X. *Benedictio Domini super caput justi.* Item timentibus Deum, Eccl. I. *Timentibus Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur.* Item misericordibus, Proverb. XXII. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Denique iis, qui Dei cultum et templorum decorem promovent, uti promisit Agg. II. *Ex die ista (qua videlicet templum restaurasti) benedicam.* Uti vero benedictio Dei maximi faciendæ et exoptandæ est; ita ejusdem

maledictio maxime timenda et fugienda, quam incurrunt imprimis ingrati, ejusque contemptores, Psalm. CVIII. *Dilexit maledictionem et venit ei: noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

II. Benedicunt angeli, sic enim Jacob tenuit angelum et cum fletu, ut testatur Oseas, cap. XII. rogavit dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Benedixit ergo illi angelus deditque nomen aliud, Israelis scilicet, Gen. XXXII. Idem Jacob moriens dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, Gen. XLVIII. Ad hæc S. Columba Scotiæ veteris, quæ nunc Hibernia dicitur, civis, vidit paulo ante mortem suam angelum aspectabili forma sibi et fratribus suis benedicientem, ut scribit Adamannus in ejus vita, l. III. c. XXVII. Etiam ista benedictio magni faciendæ est et petendæ ab angelo, præsertim custode quoties cubitum imus, vel periculoso et diurno itineri nos accingimus, rem gravem ordimur, etc.

III. Benedicunt sancti, uti Moyses filiis Israel paulo ante mortem suam, Deut. XXXIII. Josue eisdem, Josue VIII, David populo II. Reg. VI. S. Simeon hodierno in evangelio parentibus Christi. Sancti etiam novæ legis frequens et efficax erat benedictio; unde a populo magno ambitu quærebatur. S. Epiphanius episcopo Salaminæ Cypri offerebat turba parvulos ad benedictionem certatim. Venerabili Bedæ occurrentes passim homines cervices submittebant, ut benedictionem ab eo reciperent. Similiter S. Fulgentio episcopo Cuspensi, S. Hilarioni, S. Theodoro archimandrita, S. Antonino archiepiscopo Florentino, et aliis apud Greterum de benedictionibus, lib. I. cap. IX. De hoc S. Antonino prodit Vinc. Maynardus apud Sur. tom. III. venisse eum aliquando cum comitibus ad montem Apenninum, ubi industria fabricarum ferrum liqueferi et fluere solebat. Porro faber ob eorum adventum indignatus, in blasphemias et contumelias erumpere cœpit. Mox ferrum stare et quasi congelascere, nullisque ignibus totius intervallo noctis incendi et fluere. Ergo errorem suum agnoscens faber archiepiscopum adiit, veniam postulans sibi quæ etiam benedici rogans. Accepta benedictione rediit ferro solitus fluxus. Quin etiam gentiles sæpe magna contentione quærebant sanctorum benedictionem; uti Saraceni S. Hilarionis et Simeonis Stylitæ, de cujus benedictione mire contendebant duæ tribus; Ismaelitarum, seu Saraceno-rum, ita ut in se invicem irruerent. Obsecrabat una tribus benedici suum præfectum, contradicebat altera, et suum potius præfectum, quam illum benedici volebat; illum enim injustissimum esse, hunc verum alienum a justitia. Vir sanctus cum eis de columna minatus esset



e: eos canes vocasset, vix sedavit contentionem. Non sic isti inter se insanissent, nisi divini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem, ut scribit Theodoretus, in hist. religiosa. Imo et bruta animantia benedictionem a viris sanctis nonnunquam impetrarunt; uti bini illi leones, qui S. Paulo eremite sepulchrum effoderunt, a S. Antonio, apud S. Hieron. in vita Paulie duæ luthræ e mari egressæ a S. Cuthberto Episcopo Lindisfarnensi apud Bedam, in vita, cap. X.

IV. Benedicunt pontifices et sacerdotes. Ita Melchisedech Abrahamo, Gen. XIV. Moyses et Aaron populo, Num. VI. Heli sacerdos Elcanæ et uxori ejus, I. Reg. II. Ergo a pari nec minus efficaciter benedicunt episcopi et sacerdotes novi Testamenti. De filiis Aaron dixit Deus, Num. VI. se benedicendum illis, quibus ipsi benedixerint: cur idipsum non præstabit benedictioni sacerdotem legis novæ, quorum functio longe major et sublimior est? Non ergo parvi facienda est sacerdotum benedictio. S. Antonium scribit S. Athanasius, solitum episcopis et presbyteris ad benedicendum se caput submittere. Idem fecere principes viri, Justinianus imp. Eudoxia Arcadii imp. uxor, Justinus imp. junior, mater S. Stephani junioris. Angli catholici, plerique etiam nobiles, ingrediente domum sacerdote se cum tota familia in terram prosternunt, ab eoque benedictionem supplices efflagitant. Quod idem de veteribus Anglis testatur Ven. Beda, lib. III. hist. eccl. cap. XXVI. « In magna erat veneratione, inquit, tempore illo religionis habitus, ita ut ubicumque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur, etiamsi in itinere pergens inveniretur, accurrebant et flexa cervice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant; verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. » Unde colligis primo honorandos esse sacerdotes ob eorum benedictiones. Audi S. Ephrem, serm. de timore Dei: « Honora sacerdotem atque presbyteros, inquit, ut in te benedictio oris ipsorum perveniat. » Et serm. de sacerdotio. « Honora sacerdotem, ut in novissimis benedictionem ab eo accipias: nam qui sacerdotem dehonorerit, neque benedictionem ab eo accipere in novissimis promeretur. » Ob eandem etiam rationem inter alias, honorandos sacerdotes vult antiquissimus pontifex Thelesphorus apud Gratianum, cap. VI. q. I. c. sacerdotes. Nec aspernanda est benedictio malorum etiam sacerdotum, quia non in suo, sed Ecclesiæ nomine benedicunt. Litteras etiam a malo tabellario libenter acceptamus.

Secundo, benedictionem sacerdotum avide

acceptare, et ad finem missæ expectare, quemadmodum etiam præcepit Concilium Agathense, anno Domini 506. can. XLVII.

Tertio, cum reverentia asservanda ea quæ benedicuntur a sacerdotibus, et in primis quæ a summo Pontifice, uti Agni Dei, etc.

V. Benedicunt parentes liberis, uti Noe, Gen. IX. Isaac, Gen. XXVII. Jacob filiis et nepotibus suis, Gen. XLVIII. XLIX. nec vana est hæc etiam parentum benedictio. Unde enim Esau tam instanter petiit patris benedictionem, tam acerbe doluit sibi eam a fratre præreptam, nisi quia longo usu didicerat parentum benedictionem efficacem esse sæpenumero in filios, ut etiamnum non raro contingit? *Benedictio patris*, inquit Sapiens, Eccl. III. *firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ita benedictio Noe data Sem et Japhet, maledictio data Cham: benedictio Isaaci data Jacobo, benedictio Jacobi data filiis et nepotibus: benedictio Moysis data duodecim tribubus; benedictio Tobiae data filio fuit vera et efficax. *Bene ambuletis*, aiebat Tobias filio ejusque comiti, *et sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum;* Tob. V. Ita Mathathia benedictione filii Machabæi fortes et invicti evaserunt in bellis, I. Macchab. II. et seq. Hinc S. Ambrosius, lib. de benedict. patriarch. cap. I. ait: « Quantam discimus parentibus exhibere reverentiam, cum legimus (Gen. XXVII.) quoniam qui benedicebatur a patre, benedictus erat; ideo parentibus hanc Deus donat gratiam, ut filiorum pietas pr ovocetur? Prærogativa ergo parentum disciplina est filiorum. »

E contra etiam sæpenumero efficax fuit filiorum maledictio; uti Cham, in omni sua posteritate; Ruben, Simeon et Levi, vixere juxta maledictionem suam, Gen. XLIX. Tribus Ruben non crevit, sed fuit una ex minimis. Tribus Simeon et Levi, id est Scribæ et Pharisei qui e tribu Simeon; pontifices et sacerdotes qui e tribu Levi prognati sunt, consilium contra Christum inierunt, quod in eis exsecratus est Jacob. Exempla plura alibi recensuimus. In fer. rogat. c. VIII. C. n. II. Et dom. I. post epiph. c. III. E.

VI. Benedicunt etiam homines plebei: primensæ et quidem ex instituto majorum. Testatur enim Tertullianus auctor antiquissimus, de corona militis, cap. IV. et apol. cap. XXXIX. Christianos ante orationem non discubuisse; idque in Christianis laudat Plinius in epist. ad Trajanum. Fecerunt idem Essenii, apud Josephum, lib. II. de bello, cap. VII. faciunt et Turcæ. Fitque id non ob cibi immunditiam; sed primo, ne cibus hominem lædat. Ex dialogis S. Gregorii, dial. I. c. IV. discimus monialem cum lactuca diabolus comedis, quia eam non benedixerat. Lædit etiam hominem cibus, cum su-

mitur intemperantius: lædit, cum a malis hominibus paratur ad noxam, quod facile contingere potest. Hinc aliqui venenatum cibum vel potum, præcedente benedictione sumpsere sine noxa, uti S. Joannes, et S. Sabinus Canusinus episcopus. Lepidum est, quod refert S. Gregor. Turonens. lib. I. de gloria martyrum c. LXXX. de presbytero Ariano, qui ut præriperet catholico sacerdoti cibum, eum vix allatumbene dixit ritu hæretico, et ori cœpit ingerere: sed quia calidior erat cibus, inde nimium accenso pectore animam exhalavit. Secundo, ut Deo cibum acceptum feramus, et ad ejus honorem sumendum esse significemus, sicque primitias ei libemus, quod faciebant ethnici effundendo aliquid de potu. Tertio, ne instar pecorum comedamus sed instar hominum, qui sciant alimenta sumenda esse velut medicamenta, ut faciebat S. Augustin. I. X. conf. c. XXXI.

Secundo, potui, dum propinando alteri petimus facite benedictionem; respondet enim alter: Deus benedicat. Eodem pertinet mos bibendi de benedictione S. Joannis quæ jamjam discessuris offertur, quid haud dubie a pietate et observantia in S. Joannem traxit originem, quia traditur venenum bibisse sine damno. Laudanda foret consuetudo, si intra debitos terminos sese contineret, sed nunc vere in vitium transit, et benedictio inebriatis transit in maledictionem et mortem.

Tertio, obviantibus dicendo Salve, id est, salvus sis, vel bonus dies, bonus vesper, item felix annus, felix Pascha. Rursum comedentibus benedicunt: Benedicite: item operantibus: Adjuret vos Deus. Hoc vero bonum et laudabile esse monstrat, primo exemplum angeli salutantis Gedeonem, Jud. VI. et archangeli Raphaelis salutantis Tobiam, Tob. V. Gabrielis salutantis Deiparam, Luc. II. etc. Secundo, Christi præceptum, Matth. X. *Intrantes in domum salutate eam dicentes: Pax huic domui;* quod et ipse fecit, Joan. XX. *Pax vobis.* Tertio, quia est naturæ rationali conveniens, ut non transeant se mutuo sicut pecora, sed velut animalia societatis amantia et rationabilia. Quarto, quia decet hoc Christianos, ut sibi mutuo salutem precentur, humanitatis, pacis et benevolentia symbolum sibi exhibeant et ostendant; ideoque valde improbis et Christi unæ fidei hostibus non exhibendum vult Joannes ep. II. *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nec ave ei dixeritis.*

Quarto, abeuntibus, vel iis a quibus discedunt, ut Jacob Pharaoni, Gen. XLVII. sic Josue benedixit Ruben, Gad, et dimidia tribui Manasse, cum eos dimitteret in possessiones suas, Jos. XXII. sic Christus ascendens in cœlum, levatis manibus benedixit suis, Luc. ult. Idem

merito observatum a fidelibus, ut ostendit Gretserus, de benedictione, l. I. c. XI.

Magno stetit Walberto Comiti sine benedictione Sancti Bertini abbatis discessisse. Accipe historiam ex vita S. Bertini. « Vir pius Walbertus crebro ad Bertinum ventitabat, ut ex eo divina præcepta cognosceret, et post corporis et sanguinis Dominici communionem sacri oris ejus benedictione potiretur. Quodam autem die veniens ad ecclesiam in qua beatus Audomarus quiescit, cum preces absolvisset, quadam necessaria urgente ad S. Bertinum non accessit, sed incautus domum abiit. Id ubi animadvertit viri Dei discipulus Dodo, ait ad S. Bertinum: Equidem valde venerabilis Pater, admiror quod tuus in Christo fidelis amicus Walbertus ad B. Audomari basilicam venit, et tamen te insalutato absque benedictione tua recessit. S. Bertinus plenus prophético spiritu respondit: Fili, crede mihi priusquam ille domum redeat, quo nunc magna contentione festinat, multum dolebit, se sine nostra benedictione revertisse. Et ecce eodem die cum jam sol occubisset, nuntius velox a Walberto venit ad hominem Dei, ejusque vestigiis advolutus tremula voce ait: Dominus Walbertus singularis amicus tuus, cum ipsa jam ferme morte collectans obnixè rogat, ut pro se Deum depreceris, quo possit tam præsens discrimen evadere; cum enim hodie a basilica S. Audomari propere abscederet, in medio itinere subito ex equo collabens in petrosam humum decidit, multisque quassatus membris, et femore penitus confracto, se confestim putat moriturum, nisi precibus tuis, quod fore sperat, divinitus liberetur. Agnoscit autem idecirco in hoc se conjectum discrimen, quod callidi hostis machinatione, ob rem necessariam hinc, non munitus benedictione tua abierit. Cujus etiam delicti veniam petit, oratque ut potum, tuo ore et manibus benedictum, et consignatum, ad eum mittere ne graveris. His auditis, venerabilis senex, commotus tam acerbo casu amici præcipit Dodoni discipulo, ut vinum in sacrario repositum proferat, laboranti Walberto ocium mittendum. Ille vero respondit: Mensis totus, ut reor, Pater beatissime, jam intercessit, ex quo in eo vasculo vix parum vini relictum est. Et vir beatus ait ad eum: Abi fili mi, ad vasculum illud; credo enim Deum, cui nihil impossibile est, etc. nostro tam male affecto amico salutarem inde potum præbiturum. Paret Dodo, et veniens in sacrarium cernit vas plenum optimo vino, et ejus odore admirabili totam domum sentit repletam. Eo nuntio accepto, sanctus Christi confessor immensas agit gratias omnipotenti Deo, dicitque ad ministrum Walberti Comitis: Ex hoc vino perfer celeriter ad herum tuum. Ille nihil



moratus, eadem nocte lætissimus redit ad dominum suum, narrat ei, quid gestum sit, vinumque illi bibendum offert. Posteaquam ille bibit e vino sacrato, eadem hora sanatur, et mirifice laudans Deum, auctorem salutis suæ, bonam possessionum suarum partem Deo et beato Bertino largitur.

## CONCIO III.

SUADETUR VIDUITAS.

I. Suadet natura. — II. Ratio. — III. Liberi. — IV. Ecclesia. — V. Sacra Scriptura. — VI. Sancti Patres. — VII. Deus.

## THEMA.

*Et hæc erat usque ad annos octoginta quatuor, Luc. 2.*

Duæ contra viduitatem olim erant hæreses: una Joviniani qui eandem vilipendebat et nihili pluris quam conjugium aestimabat: contra quem scripsit ex professo S. Hieronymus: altera Montanistarum, in quem lapsus est Tertullian. lib. de monogamia, c. XVII. qui secundas nuptias damnabant. Ecclesia Catholica in medio graditur et suadet viduitatem, non præscribit. Neutrum igitur faciendum est, nec viduitas spernenda, nec secundæ nuptiæ damnandæ. Sed quid si consulat me aliquis? Utra mihi sequenda, bigamia an viduitas? Odiosa propositio. Sacrum inter et saxum hæreo. Si suasero viduitatem, homines offendo et in saxum impingo. Si dissuasero, Deum offendo et saxum. *Consurgent proceres adversum me*, (ait Hieron. ep. ad Furiam, cum ei viduitatem suaderet) *et epistolam meam: turba patritia detonabit, me magnum, me seductorem clamitans, et in terras ultimas deportandum.* Sed quemadmodum ipse nihil horum veritus est, ita nec ego vereor. Protestor enim imprimis: non damno secundas nuptias, imo nec tertias, nec quartas, etc. nec impedio, sed honoro suo modo; interim tamen viduitatem præfero et suadent sequentes consiliarii.

I. Natura, scribunt enim S. Basilii in Hexam. hom. VIII. et S. Hieron. l. II. contra Jovin. turturum ubi semel comparem suum perdidit, nulli amplius conjungi, sed deserta inhabitare loca et viduitatem colere tota reliqua vita. Causa videtur esse ingens amor erga comparem. Quis hujus rei rationem reddat? Forsitan quia per conjugium conjuges fiunt una caro, Gen. II. itaque cum alter ab altero per mortem dividitur, ipse qui superest, quasi semimortuus est. Si enim S. Bernardus, in sermone super Canticam, fratre suo Gerardo mortuo, animam suam quæ cum fratre eadem erat, per mortem illius divisam fuisse scribit, et alteram quidem partem ejus in cælo locatam, alteram, id est se, in

cæno relictam fuisse, non immerito id ipsum de conjugibus dici potest. Mortuo quidem conjugē, liber est alter, teste S. Paulo: *Cui vult nubat.* Quod si tamen superstes conjugem suum mortuum interrogare posset: quid respondi putas, audiret? *Hodie mihi, cras tibi.* Unde Hieron. in ep. ad Furiam ait? *Cogita te quotidie esse morituram, et nunquam de secundis nuptiis cogitabis.* Et rursus ibid. *Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ, ut post paululum testamentum facere compellaris.* Idem l. I. contra Jovin. scribit de Valeria quadam, quæ rogata quam ob rem, defuncto marito Servio, nulli posthac nubere vellet, respondit: *Quia Servius meus, licet aliis defunctus sit, apud me tamen vivit, vivetque semper.*

II. Ratio, quæ cuivis prudenti dictat pericula vitanda et labyrinthos, ex quibus semel evaserit. Ejusmodi autem labyrinthus est matrimonium. P. Syrus apud Brus. l. IV. c. XXV. ait: *Improbe Neptunum accusare, qui iterum naufragium facit: sentiens eum, qui semel naufragium fecit, non facile iterum navigaturum, si sapit.* S. Hieron. ad Furiam ait: *Bruta animalia et vaga aves in easdem pedicas retiaque non incidunt: facite monens viduas, ne et ipsæ facile ad priores conjugii, quos evaserunt, laqueos redirent.*

III. Liberi: unde Hieronymus loco cit. ait: *Solent adolescentulæ viduæ in Christo nubentes dicere: Parvulos meos quis erudiet et verbulas quis educabit? Et hanc pro nefas! causam apponunt matrimonii, quæ vel sola debuit nuptias impedire. Superducit mulier filiis non nutritium sed hostem: non parentem sed tyrannum: inflammata libidine obliviscitur uteri sui et inter parvulos suas miseras nescientes, lugens dudum nova nupta componitur.* Hæc ille. Deinde: *Matres, quæ iterum nubent, liberis prioribus matres suffurantur* (ait S. Ambrosius, l. de viduis): *derivantes maternum animum ad liberos posteriores.*

IV. Ecclesia, quæ primas nuptias benedicit, non item secundas. can. Vir autem de secundis nuptiis: tum quia primæ honoratior, tum quia illæ solæ representant matrimonium Christi cum Ecclesia, quod est inter unum et unam tantum, eritque in sempiternum. Ad hæc viri, qui ad secundas nuptias transeunt, incurrunt notam irregularitatis seu inhabilitatis ad statum sacerdotalem et reliquos ordines illum præcedentes, juxta præceptum apostoli *Unius uxoris vir*, l. Tim. III. eo quod degenerarint a perfecta matrimonii significatione, unione scilicet unius Christi cum una Ecclesia, cum etiam sacerdotium sit status admodum excelsus et purus, non sint digni, qui ad illum admittantur, si indicia dederunt exiguæ adeo continentiæ, ad secundas

transeunt nuptias et secundo ligantes se vinculo, quod jam semel Deus dissolverat.

V. Sacra Scriptura, l. Cor VII. *Dico autem non nuptis et viduis*, ait apostolus: *bonum est illi si sic permanserint sicut et ego.* Rationem reddit paulo infra: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi; quomodo placeat uxori, et divisus est. Et melior innupta cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu.* Et paulo post: *Hoc dico, ad id quod honestum est et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* E contra de nuptis ait ibid. apostolus: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi; quod ostendit Hieron. loco supra cit.* *Nam, inquit, si uxor habeat ex priore marito liberos; domestica pugna, intestinum prælium, non licet tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis, quos genuisti; clam porriges cibos, invidiebit mortuo, et nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod si de priore uxore sobolem habens te domum introduxerit, etiam si clementissima fueris, omne genus comœdiæ et mimographi et communes rhetorum loci in novercam sævissimam declamabunt. S. privignus languerit et condoluerit caput, infamaberis venifica, si non dederis cibos; crudelis si dederis, malefica diceris. Oro te quid habent tantum boni secundæ nuptiæ, ut hæc mala valeant compensare?* Hæc Hieronymus.

VI. Suadent sancti Patres et doctores, qui omnes statum viduitatis medium ponunt inter conjuges et virgines. S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. Fructum centesimum assignat virginibus, sexagesimum viduis, trigesimum conjugatis, ex Matth. XIII. Unde gratias agere deberent viduæ, quod perditio licet primo virginitatis gradu, per tertium tamen venerint ad secundum, ut insinuat idem in ep. ad Furiam: sicut qui de ponte cedit in fluvium, si apprehendat navem aut trabem, qua emergat. S. Ambrosius, in l. de viduis, ejus meritum virginitati pene æquat propter ejus difficultatem. *Propemodum non inferioris virtutis est, inquit, eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta nescire.* Similiter S. Paulus loco indicato ait: *Beator erit, si sic permanserit, mulier scilicet viro suo orbata.* Idem. Tim. V. præcipit *Viduas honora.* Ecce episcopus jubetur honorare viduas: quanta isthæc gloria? sic etiam Joachim summus sacerdos cum presbyteris suis ita laudat Juditham, c. XV. *Tu gloria Jerusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia populi, etc. eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris, ideo et manus Domini confortavit te et ideo, eris benedicta in æternum.* Quim etiam apud veteres Romanos, quæ

*uno contentæ matrimonio fuerant*, inquit Valerius Max. l. II. c. I. *corona pudicitia honorabantur.*

E contra despiciuntur quæ pluries nubunt. Narrat S. Hieronymus, ep. ad Geruntiam suo tempore cum esset Romæ Damaso Papæ ab epistolis, vidisse se duo inter se paria vilissimorum et plebe hominum comparata: unum qui viginti sepelisset uxores, alteram quæ vigesimum secundum habuisset maritum. Qui matrimonio sibi copulati, summa cum omnium expectatione tam virorum quam feminarum, uter utrum esset sepulturus; vicit tandem maritus. Qui totius urbis populo confluyente coronatus et palmam tenens, adoransque per singulos sibi acclamantes, uxoris multinubæ feretrum præcedebat. *Quid dicimus tali mulieri?* Inquit Hieronymus: *nempe illud quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuisti viros, et iste a quo sepelieris, non est tuus.* Sic Hieronymus.

VII. Deus ipsemet, qui singularem curam viduarum suscipit, easque fovet. Nam Ps. CXXXI. ait: *Viduas ejus benedicens benedicam.* Et Exod. XXII. ait: *Vidue et pupillo non nocentis; si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum et indignabitur furor meus percussamque vos gladio, et erunt uxores vestre viduæ.* Ecce viduæ habent tutorem Deum et benedictionem duplicem, scilicet promissionem omnium bonorum, terrenorum et supernorum.

Ad extremum vultisne, auditores, videre illustres aliquot viduas? Advertite. Talis vidua fuit Euphrasia Romana, quæ juvencula nobilis et potens, mortuo marito, cum ab imperatore urgeretur ad secundas nuptias, omnibus abdicatis, secessit in Thebaidem, ibique in sancta viduitate inter sanctos vixit et mortua est. Talis fuit et Constantia filia Constantini imper. quæ Gallicano marito duci totius exercitus persuasit, non tantum fidem Christi, sed et continentiam, cujus et votum uterque nuncupavit.

Unde ipse se totum pauperum ministeriis addixit, et sub Juliano apostata gloriosum martyrium consummavit. Talis fuit S. Elisabeth filia regis Hungariæ, quæ juvencula, mortuo marito, totam se dedit curæ pauperum et ægrotorum. Talis fuit S. Birgitta vidua nobilissima, quæ totam se peregrinationi ad loca sancta addixit, Romam et Hierosolimam adiit, multa monasteria fundavit, multaque alia heroica opera perfecit. Talis fuit Olympias, quæ, Nebridio marito præfecto urbis Constantinopolitanæ secundo conjugii anno mortuo, juvenula secundum maritum respuit. Cumque Theodosius imper. eam plane conjugere vellet Elpido quidam sibi congeneri illa restitit, dixitque: *Imperator meus si voluisset*